



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1721. usque ad annum 1724

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1783**

**VD18 90119304**

§. 81. Actum Parisiis de eligendo novo Regis Confessario.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67596)

Concessa igitur Regni Neapolitani Sæc. XVIII.  
 investitura Cardinalis de Althan eadem A. C. 1722.  
 die in Palatio Quirinali habita Congre-  
 gatione Generali coram Tribunali Ca-  
 meræ Pontificiæ, ejusque Protonota-  
 riis nomine Cæsaris tanquam Regis Nea-  
 politani hoc juramentum fidelitatis præ-  
 stitit confecto desuper solemnī instru-  
 mento. Postmodum die vigesima octava  
 Junii Magnus stabuli Comes de Colon-  
 na Imperatoris nomine ante Vaticanæ  
 Basilicæ fores in homagii pignus Astur-  
 conem cum censu septem millium  
 scutatorum aureorum obtulit.

§. LXXXI.

*Actum Parisiis de eligendo novo Regis  
 Confessario.*

Cum Claudius Abbas de Fleury, qui *Dorsane.*  
 Ludovico XIV. Franciæ Regi a *Journal*  
 confessionibus erat, gravi senio, & ad- *t. 2. p. 117.*  
 versa valetudine premeretur, & post *Vid. supra*  
 Marchionis Villaregii amici sui exaucto- *t. 69. l. 217.*  
 rationem haud mitius fatum veritus *pag. 345.*  
 clam Parisiis secessisset, de novo Regis *Hist. Uni-*  
 Confessario tempeſtively ſeligendo ageba- *verſ. t. 8.*  
 tur: In id præcipue intentus erat Car- *Period. II.*  
 dinalis Noaillius, qui Jeſuitas ab hoc *c. 4. p. 623.*  
 munere omnino arcendos eſſe ratus, *Hist. Chron.*  
 desuper cum Cardinale Rohanio, qui *cont. p. 797.*  
 die vigesima octava Januarii Roma

Sæc. XVIII. Parisios reversus erat, sua contulit con-  
 A. C. 1722. filia, eoque annuente Sacerdotem le-  
 cularem, atque inter eos præcipue  
 Vivantium sancti Germani Decanum  
 proponendum censuit. Utrumque vero  
 Cardinalem jam dudum prævenerat bo-  
 lertia Jesuitarum, qui Cardinalis de  
 Bois, quem proxime in primum Regis  
 Ministrum nominari noverant, auctori-  
 tate ac patrocinio suffulti, Patrem  
 D'Aubentonum Jesuitam Hispani Regis  
 Confessarium impulerunt, ut hic Phi-  
 lippum Hispaniæ Regem induceret,  
 quatenus ex Jesuitis quemdam pro Gal-  
 lici Regis Confessario seligi, ab Aure-  
 lianensi Duce Regni Moderatore im-  
 portunius postularet. Haud defuit suis  
 partibus P. D'Aubentonus, & Philip-  
 pus Hispaniæ Rex sui Confessarii, cui  
 ob procuratam cum Gallis pacem ob-  
 strictissimum sese profitebatur, assiduis  
 sollicitationibus cedens, tam impensè  
 hoc negotium apud Aurelianensem Du-  
 cem urgebat, ut hic Noaillium Cardi-  
 nalem, qui die vigesima septima Fe-  
 bruarii hac de re cum illo agebat, sine  
 responso dimitteret: Verum Noaillius  
 futuri regiminis felicitatem in probi  
 Confessarii selectu magna ex parte re-  
 positam esse persuasus, rursus die sexta  
 Martii Ducem Regni Moderatorem  
 adiit, eidem exponens, minime expe-  
 dire,

dire, ut quidam Communitati aggregatus, minus vero Jesuita juveni Regi in conscientia Moderatorum daretur: Sæc. XVIII.  
A. C. 1722.

Ad hæc respondit Dux, vincitas se habere manus, Hispania Regem summis precibus Jesuitam, & quidem præ ceteris Patrem Lignierum exoptare, seque eidem Regi jam fidem dedisse: Ad hæc admiratione suspensus hæsit Noallius, Regenti exponens, quod jam ante sex annos conclusum esset, Jesuitas in perpetuum a Regii Confessarii munere esse excludendos, aliunde etiam Lignierum confessiones excipiendi facultate destitutum esse: Incitabat quoque Noallium Villaregius Franciæ Marescallus, qui ad impediendam hujus consilii executionem omnem opem & operam pollicitus, Vauronium Perpinianensem Episcopum, vel Poletum, aut Benedictum S. Germani in Laia Priorem proponebat. Noallius igitur die decima quarta Martii rursus Regni Regentem convenit, eique quemlibet Jesuitam excludendi necessitatem exponens declaravit, se Jesuitarum nulli, quiscunque in Regium Confessarium seligeretur, tuta conscientia confessiones excipiendi facultatem dare posse; respondente autem Duce, quod nunquam ab eo quicquam contra ipsius conscientiam postulaturus esset, Noallius

Sæc. XVIII. lius recessit. Interim Dux tam petro

A. C. 1722. lofo obraebatur morbo, ut respirandi

facultate intercepta ægre verbum pro-

ferre posset: quocirca Noaillius die se-

gesima septima Martii, ad eundem le-

teras dedit, quibus denuo declarabat

se Jesuitarum nulli pro Regis confes-

nibus excipiendis facultatem daturam

ac ipsummet Regni Regentem petro-

sum sibi habuisse, id non expedire

„hanc persuasionem in præsentem rerum

„vicissitudine magis adhuc ex ipsa

„gendi ratione, & perversa doctrina

„quam Jesuitæ Tolosæ, Venetiis, Ro-

„thenæ imo & Parisiis propugnasse

„confirmari: aliunde etiam certam esse

„hos Patres concordæ in Constitutione

„negotio in itæ ardentius sese opponere

„pro in omnes vires adhibebuntur,

„innovatis contentioneibus Constitutione

„nem pure & simpliciter acceptari extor-

„querent &c. „ Hanc Noaillii episcopi

lam Dux ad Cardinales du Bois,

Rohanum, necnon ad Andream Fle-

culum de Fleury Forojuliensem Episcopum

pum transmisit; dum vero hi delibere

consultabant, inscio interim Noaillii

Pater Lignierus ab ipsomet Aurelianensi

ad Regem conducebatur, in conspecto,

cum Rex Jesuitam in confessorium sibi

obtrudi perciperet, stupor ac silentium

defixit: Paulus

Pater Gaillardus Jesuita cum Ligniero Sæc. XVIII.  
 ad Cardinalem Noaillium Parisiensem A. C. 1722.  
 Archiepiscopum Confluentiam contem-  
 dit, eundem his verbis allocutus: *Ab*  
*ipsomet Serenissimo Aurelianensi Duce hunc*  
*Patrem ad Eminentiam suam ducere jussus*  
*sum, ipsemet adventus sui causam exponet:*  
 mox Pater Lignierus subdidit: *summo*  
*mane a Serenissimo Duce, & Villaregio*  
*Marescallo ad Aulam vocatus, percepi,*  
*quod idem Dux me in Regis Confessarium*  
*selegerit, ambo etiam confestim me*  
*hoc munere auctum Regi fitebant: nunc*  
*vero Eminentiam vestram supplex rogo,*  
*ut me suo assensu, ac necessaria facultate*  
*honorare dignetur. Ad hæc reposuit*  
*Noaillius, utrumque Reverentia vestrae de-*  
*negare invito & ingratis cogor; jam du-*  
*dum desuper mentem meam Duci exposui:*  
*Huic sat cognitæ sunt rationes, ob quas*  
*cuiunque Jesuitæ ad excipiendas Regis con-*  
*fessiones facultatem concedere prohibeor:*  
*plura dicere, ob adversam valetudinem non*  
*vacat. Hoc responso P. Lignierus velut*  
*fulmine tactus, in salebris hæsit: inte-*  
*rim vero rumor per urbem volitabat,*  
*quod Rex proximo Paschate adhuc-*  
*dum apud Abbatem Fleuryum suam*  
*conscientiam sacra confessione perpur-*  
*gaturus esset: Ipsomet autem Paschatis*  
*festo Fleuryus tam violenta apoplexia*  
*obruetur, ut Abbatem d'Argentré,*  
 qui

Sæc. XVIII. qui Regi ab Eleemosynis erat, ad ex  
 A. C. 1722. cipiendam ejus confessionem esse vo  
 candum, Villaregius Marecallus  
 dicaret: cum autem ille accurreret,  
 Marecallus a Regente jubebatur, ut  
 Chaperelo Regio Sacellano Confessari  
 munus deferret, qui etiam die Domi  
 nica prima post Pascha suo munere ju  
 gebatur cum summa Regis satisfactione  
 qui novi hujus Confessarii humilitatem  
 modestiam, ac prudentiam summopere  
 deprædicabat; cum enim a Marecallis  
 admonitus esset, ut Regem ad Missæ  
 sacrificium comitaretur. & ad ejus  
 tus in loco Confessariis Regiis destinatum  
 genuflecteret, Chaperelus tanto honore  
 sese indignum reputans, respondit  
 quod incredibili rubore suffunderetur  
 si in loco illis, quos tanquam suos su  
 periores revereretur, ferme æquali co  
 sistere cogeretur: Interim vero P. Lie  
 nierus (excepto confessionis exercitio  
 cunctis Regii Confessarii honoribus po  
 tiebatur, & Regio diplomate ac salaria  
 auctus, vestem Regiis Confessariis  
 tatam indutus, sermoni & Missæ Sacra  
 ficio intererat, ipsumque Regem  
 Templum sancti Germani euntem co  
 mitabatur: Deerat tamen adhuc ne  
 cessaria sui Archiepiscopi approbatio  
 illam interim concedere sollicitabatur  
 Carnutensis Episcopus, qui tamen prima

tergiverſatus, tandem illam indulſit, Sæc. XVIII.  
 nihilominus in vigilia Pentecoſtes Rex A. C. 1722.  
 apud Chaperelum ſua peccata expia-  
 vit. Urgebatur interim a Rohanio Car-  
 dinale Pontifex, qui etiam P. Lignierum  
 in Regis Confeſſarium approbavit die tri-  
 geſima Maij miſſis ad Regentem literis,  
 quas Hic Cardinalibus Noaillo, Ro-  
 hano & du Bois, necnon Poletto &  
 Vittemano tradidit, eo ſine, ut hi in  
 conſcientiæ Senatu deciderent, an hac  
 Pontificis conſeſſione uti expediret.  
 Præceteris Poletus declarabat, Pontifi-  
 cem hanc facultatem Ligniero omnino  
 quidem potuiſſe concedere, cum autem  
 Noaillius quoque eam huic Patri, omni-  
 busque Jeſuitis denegandi urgentiſſimas  
 haberet cauſas, æquum eſſe, ut ejus  
 voluntati deferretur, Jeſuitarum enim  
 doctrinam eſſe unicam denegatæ facul-  
 tatis cauſam, eorum vero doctrinas  
 eſſe perverſas inde patere, quod cen-  
 ſuram anno milieſimo ſeptingentieſimo  
 latam ſignare detrectaſſent, prius  
 ergo illos ad hanc ſignandam, & ad-  
 optandam eſſe compellendos. In Regio  
 etiam Senatu agebatur de hiſce Papæ  
 literis, & communis omnium vox erat,  
 Papam tentaſſe rem omnibus juxta ac  
 antiquiſſimis Regni legibus contrariam,  
 & Lignierum anathematis pœnam pro-  
 meritum eſſe, ſolus Pater Gouy Jeſuita  
 ſine

Sæc. XVIII. sine ulla hæsitatione propugnabat, Lig-  
 A. C. 1722. nierum Pontificis facultatem exequi

posse ac debere, & si dubium occurre-  
 ret, Pontificis Regisque esse illud dis-  
 solvere, Papam vero spreto etiam Epi-  
 scopo posse in particulari Diœcesi cui-  
 vis ejusmodi dare jurisdictionem, ut  
 patere in exemptis Regularibus, que-  
 rum unus alteri confitetur, et si Epi-  
 scopus eis omnem ademisset faculta-  
 tem: His vero Menguius Abbas oppo-  
 suit, non pœnitentis, sed potius Con-  
 fessarii esse, discutere, an facultas data  
 sit sufficiens, hocque jus a Tridentina  
 aliisque Franciæ Synodis assertum esse  
 solis Episcopis: His ita altercantibus  
 Cardinalis Noaillius die quinta Junii  
 Aurelianensem Ducem accessit, eidem  
 exponens, quod novissimum hoc Pon-  
 tificis Breve novas concitaret turbas  
 Respondente Duce, hoc Breve ut æ-  
 terno sepeliatur silentio, penes ipsum  
 esse, dummodo petitam Ligniero be-  
 cultatem concedere velit, Cardinalis  
 subjunxit, hæc a Regia sua Majestati  
 peti, eo magis miror, quo apertius ipse  
 met declarasset, tam graves conscientia  
 meæ rationes hujus facultatis repulsam in-  
 poscere, ut importunius rem urgere, hanc  
 expediret, nec me sententiam meam muta-  
 turum sperari posset: easdem autem ra-  
 tiones adhucdum subsistere, notum est. Ha-

reponere Dux, facile tolli possent, si *Sæc. XVIII.*  
*Lignierus laudatæ censuræ subscribere A. C. 1722.*  
 compellatur; tum enim ejus doctrina haud  
 ultra erit suspecta, proin hic Pater pro  
 Regis Confessario approbari posset. Non  
 acquiescens Cardinalis, exjurato, inquie-  
 bat, cujusdam Jesuitæ promisso constare  
 nequit de ejus doctrina, nam ope restrictio-  
 num mentalium cuncta promittere, & nihil  
 servare, jam assueti sunt, aliunde sola Lig-  
 nieri subscriptione malo obviam iri nequit;  
 sciat sua Majestas, quod initam Præsu-  
 lum concordiam evertendi opportunissimum  
 sit medium, si Regii Confessarii munus  
 Jesuitis committatur; illius enim aucto-  
 ritate mox ad turbandam Ecclesiam ab-  
 usuri sunt: liceat mihi autem quærere,  
 quam dudum sua Majestas Inquisitionem in  
 Franciam invehere meditetur? hæc enim  
 agendi ratio non magis opposita est In-  
 quitioni, quam consiliis ad initium ad-  
 ministrationis suce arreptis; jamjam de  
 mutata suce Majestatis mente tripudiant  
 Jesuitæ, seque Generales fore Inquisito-  
 res jactitant.

Hac liberiore Cardinalis reprehensionem  
 Dux haud parum commotus, de  
 Pontificio Brevi haud ultra mentionem  
 fieri sustinuit, veritus, ne si illud exe-  
 cutioni daretur, Cardinalis acerbius in  
 Lignierum invehens, tanquam ab abusu  
 ad Parlamentum provocaret. His ma-  
 lis

Sæc. XVIII. A. C. 1722. lis obviaturus, Michael Tambourinus Societatis Præpositus Generalis Parisiensi nomen ex Parisiensium Jesuitarum Albo eradi jussit, eumque ad Pontifarense Collegium emisit, ut Noëlli Cardinalis jurisdictioni haud ultra subesset, & a Bridelo Vicario Generali ibidem confessiones excipiendi facultatem acciperet: inde vero ter per hebdomadam Versalias, Regem ad primam mensæ Divinæ communionem comparaturus Lignierus veniret, facultate autem a Carnotensi Episcopo accepta munitus. Eiusdem confessionem in oppido S. Cypriani exciperet. Sæpius ergo intra hebdomadam Lignierus Versalias venit, & Rex in præfata Urbe in festo SS. Petri & Pauli noxas suas confessione elatis obstrepentibus ceteris Franciæ Episcopis, qui minus convenire arbitrabantur, quod Confessarius, Confitens, & Confessionis locus de tribus diversis Diœcesibus essent, & sic ordinaria proprii Episcopi jurisdictione ob privatos effectus declinaretur. Quem tamen res exitum sit sortita, paulopost recelebimus.